

## **Sylloge observationum de partu laborioso ... / [Joseph Gerson].**

### **Contributors**

Gerson, Joseph, 1751-1801.  
Murray, Johann Andreas, 1740-1791.  
Universität Göttingen.

### **Publication/Creation**

Goettingae : Joann. Christian. Dieterich, [1776]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kjg7s6zr>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8  
SYLLOGE OBSERVATIONVM  
DE PARTV LABORIOSO

---

Q V A M  
DISSERTATIONE INAUGVRALI  
VENIA EXPERIENTISSIMI ORDINIS MEDICI  
P R A E S I D E  
IOANNE ANDREA MVRRAY D.

MEDIC. ET BOTAN. PROFESSOR P. O. HORT. R. BOT. PRAEFECTO  
SOCIET. SCIENT. GÖTTING. ACAD. SCIENT. SVEC. SOCIETT.  
OECON. BERNENS. ET CELLENS. NEC NON HAVNIENS.  
MED. MEMBRO

IN ALMA GEORGIA AVGVSTA

P R O  
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORIS MEDICI CONSEQVENDIS

D. XIX. SEPTEMBRIS A. MDCCLXXVI.

PVBlicae DISQVISITIONI SVBIICIET

A V C T O R  
IOSEPHVS GERSON

ALTONAVIENSIS.

---

GOETTINGAE,  
LITTERIS JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.  
ACAD. TYPOGR.

SYLLOGE OBSERVATIONVM  
DE PARTV LABORIOSO

DISSECTATIONE INVALVALLI  
VENIA EXPERIMENTISSIMI ORDINIS MEDICI  
PRAESIDE

IOHANNI ANDREA MURRAY D.

PHYSIC. ET BOTAN. PROFESSOR. O. HORT. F. BOT. PRAEFECTO  
SOC. SCI. GÖTTING. ACAD. SCIENT. SUEC. SOCIET.  
- GÖTTON. PENNLAN. ET CALIFORN. AC. NON HABENS.  
MED. MEMBR.

IN ALMA GEORGIA AUSTRIA

PRO  
MEMORIBUS ET TRINIVS  
D. XIX. EXTE  
PUBLICE DIS  
VINCIT



AUCTOR  
IOSEPHVS GERSON

ALTONAENSIS

GÖTTINGEN  
LITTERIS JOHANN. CHRISTIAN. DIETRICH.  
ACAD. TYPOG.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI

AC

D O M I N O

F R I D E R I C O

PRINCIPI HAEREDITARIO

DANIAE ET NORVEGIAE  
VANDALORVM GOTHORVMQVE

D V C I

SLESVICI, HOLSATIAE, STORMARIAE ET  
DITMARSIAE

C O M I T I

OLDENBURGI ET DELMENHORSTIAE

CET.

SERENISSIMO ET CARISSIMO PRINCIPI

AC

D O M I N O

F R I D E R I C O

PRINCIPIS HANNOVERIENSIS

DAVIDE ET NORVICHENSIS

Digitized by the Internet Archive

in 2020 with funding from

Wellcome Library

C O M I T E

ORDINARIUS PALATII HANNOVERENSIS

<https://archive.org/details/b31891639>

*SERENISSIME ET CELSISSIME  
PRINCEPS,*

*DOMINE CLEMENTISSIME,*

**I**nter numerosissima ista monimenta, quae  
DIVO GENITORI TVO immortalitatem  
nominis conciliarunt, et quibus saluti civium  
Suorum abunde prospexit, vix vllum aliud illu-  
strius exstat, vixque aliud magis incompara-  
bilem mentis EIVSDEM bonitatem spirat,  
quam nosocomium obstetricium, quo egenae  
aliaeque, quas ob praecocem amorem pudet  
matres vocari, in periculofissima vitae scena

humanitatis iuribus fruuntur, cuiusque beneficio vitae et matrum et infantum insignis numeri parcitur, quem sibi relictum desperatio vel acerba fortuna alias contritura esset. Verum longius prospexit munifica augustissimi fundatoris prouidentia, illudque campum esse voluit, ex quo, penes quos est artem obstetriciam exercere, stamina scientiae solidae petere possent. Quum mihi datum fuerit, alumno-  
rum

rum eiusdem, quod pristino suo vigore paterna REGIS augustissimi cura etiamnum seruat, vnum per aliquot annos esse: ad TE, SERENISSIME PRINCEPS, qui et facie et clementia DIVVM PATREM TVVM refers, fructum doctrinae qualiscunque et experientiae ibi acquisitae deuotissimo animi cultu deferre audeo; quem vt clementer excipere, eiusdemque auctorem indulgentia TVA excitare



tare et refocillare haud dedigneris, humilissime  
precatur

*REGIAE CELSITVDINI TVAE*

submissa fide addictissimus

**IOSEPHVS GERSON.**



## P R A E F A T I O.

**C**omputis apud plerasque cultiores nationes institutis constat, plurimos homines primis vitae stadiis vita decedere, et inter hosce eos, qui mortui nascuntur, maximum numerum efficere. Quae sane hominum iactura non vnice humanae sub ea aetatis linea imbecillitati, et ipsi nascendi difficultati, tribuenda: sed proh dolor! longe maiorem tenellorum sub ipsum ortum occidentium co-

piam deberi obstetricum ignorantiae, et, quae huius filia esse solet, temeritati, triftis experientia docet. Quin harum vitio creberrime non praefens solum vel foetus vel matris vita et integritas periclitatur, sed iniuriis generationis partibus inductis saepe foecundae matres in steriles permutantur. Haecce perpendens non contra rem statui posse arbitror, infestissimum generis humani hostem, praeter variolas, inscitiam obstetricum esse. Harum ferociae prout aedibus insitioni dicatis sapientissimo et patriae beneficentissimo Regum Daniae consilio Havniae cautum est: ita et ibidem nosocomio obstetricio instructissimo et externo quoque decore ornatissimo quotannis parturientium insigni numero prospicitur; quod et schola euasit, in qua tam scientiae salutaris tirones, quam obstetrices, vndique per Regis augustissimi dominia dispergendae, in nobilissima hacce arte exerceri possunt.

Mihi contigit, quod inter felicissima vitae meae repono, per plures annos parturientibus ibidem obuiis interesse, et, postquam praeceptis doctissimis celeberrimi SAXTORPH, Professoris Medicinae et nosocomii dicti Praefecti,

fecti, de profectibus meis medicis meaque fortuna meritiſſimi, pro virili imbutus fuerim, inſignem partuum numerum propria manu abſoluere. Imo frequentiſſima occasione extra noſocomium oblata me internuncio et auctore praestantiſſimus Praeceptor vti haud dubitauit. Inde copia obſeruationum mihi enata, quarum ſelectum iam in lucem producere audeo. Inſerui huic quasdam iam alibi a me praestitas, ſed auctas hinc inde et emendatas. Non animus mihi fuit, quae admirationem vnice et ſtuporem iniiciunt, percenſere, verum ſpecimen tantum qualiscunque in hac praecipue arte acquiſitae peritiae exhibere. Grauiores tamen quosdam et rariores caſus haecce inter contineri, facile apparebit. Non diffiteor, inſtrumenta, nominatim forcipem, ſaepe applicari non neceſſitate quadam, ſed ſola obſtetricantis culpa, dum vel vana (quod ingenuum quidem virum dedecet) negotioſi magis officii ambitione trahitur, vel in velamentis foetus rumpendis nimium feſtinavit. Attamen ſaepe forcipis neceſſitatem, eiſdemque prae verſione praestantiam expertus ſum, ſemperque minus periculi infantem vel matrem incurrere obſeruavi in partu laborioſo, qui forcipe

potuit absolui, quam qui versione infantis fuerit adiutus. Suffecitque omnino Smelliana, cui nullo modo Levretiana praeferri potest. Haec sicuti vberius ex sequentibus casibus cognosci poterunt: ita quoque iisdem efficacia iniectorum in vterum liquidorum eximia, cunctationis in soluenda post abortum placenta utilitas, praestantissima compressionis abdominis in haemorrhagiis vteri compescendis vis, vt reliqua confectaria taceam, confirmabitur.



---

# ELENCHVS OBSERVATIONVM.

---

- I. *Perforatio capitis ob hydrocephalum internum.*
- II. *Forcipis in situ faciei laterali applicandi ratio.*
- III. *Alia obseruatio similis argumenti.*
- IV. *Brachium prolapsum. Versio.*
- V. *Conuulsiones partum retardantes, foetu forcipe extracto.*
- VI. *Conuulsiones similes, versione sopitae.*
- VII. *Ruptio colli et vaginae uteri lethalis.*
- VIII. *Partus facilis, sed puerperium ob lotii retentionem rel.  
graue.*
- IX. *Febris putrida ex dilacerata et relicta post abortum in utero  
placenta, iniectioe demum prouocata.*
- X. *Placentae uteri portio post abortum relicta, iniectioe elicit.*

- XI. *Placenta post abortum per sex hebdomades intra uterum residua, iniectionis ope excussa.*
- XII. *Usus iniectionis in haemorrhagia uteri post iram enata abortu pedissequo.*
- XIII. *Partus gemellorum larga haemorrhagia stipatus.*
- XIV. *Haemorrhagia uteri post abortus plures antea orta, sed, relicta placenta, ultimo auersa.*
- XV. *Haemorrhagia uteri vehemens. Foetus forcipe extractus.*





### OBSERVATIO I.

## PERFORATIO CAPITIS OB HYDROCE- PHALVM INTERNVM.

**F**emina rustica annorum 24, robusti corporis habitus, eaque primipara, die 3. Maii a. 1774. ob dolores ad partum, quibus afficiebatur, obstetricem ex proximo pago aduenire curauit. Haec exploratione facta asseuerans, procul adhuc abesse partum, paullo post eandem reliquit. Die 4. vero increuerunt dolores, et quum rediret obstetrix, orificium vteri modice apertum, vesicamque ex liquore amnii formatam, sensit. Versus vesperam haec ipsa dissiluit, dolores autem sensim decreuerunt: attamen continuarunt, etsi mites, ad 8. vsque eiusdem mensis diem, simulque caput lente in peluim detrusum exstitit.

Die 9. consilio cel. SAXTORPH, vt auxilium illi ferrem, accessi, adiungens mihi socium digniss. med. Candidatum HELM. Offendi eam tum intra arctum hypocaustum puluinis plumeis obrutam,



tam, genis rubris, lingua dentibusque muco obscure bruno obductis, voce rauca, insigni calore et siti pulsuque duro affectam. Dolores inde a die praecedente conticuerant. Genitales partes indagans labia externa in pugni adeo magnitudinem tumida duraque inueni, vaginam vero vteri valde calidam et siccam, et orificium vteri perfecte hians. Caput infantis praeterea intra superiorem peluis aperturam incuneatum sensi tumore tam insigni, vt totum cauum peluis occuparet et speciem clunium in peluim protrusorum ibidemque stabulantium, prae se ferret. Etenim integumenta capitis ad contactum tam mollia fuerunt, vt musculosae corporis nostri partes esse solent. Vltiori autem indagine futurae cranii sese mihi obtulerunt, eaeque valde hiantes; quarum ope cognoscere mihi visum, faciem ossi ilei dextro, occiput autem ossi ilei sinistro, esse obuersum, etsi non omnino transuerso situ, verum quodammodo obliquo. Ob ingentem istum tumorem et hiatum futurarum valde difficile fuit curatius rem pernoscere. Quum extraherem digitum, quo ipso explorationem institui, adhaesit illi epidermidis pars, simulque erupit foetor tam intolerabilis, vt in animi deliquium fere incidissem, nec, quocunque modo dein tentarem, eluere caduerosum istum odorem de manu mea possem. Mox igitur e lecto eam educi iussi, linteo recenti amiciri, et in aliud conclaue transferri spatiosius et puriori aëre perflatum. Venam tum illi secui, tumorisque illius insignis causa paullum super vaporibus calidae aquae retinui, quibus etiam labia aliquantum molliora euaserunt. Sic postquam parumper vires collegisset, et quum encheiresis ob imminens periculum vltiorem moram non admitteret: in commodum pro partu situm illam collocaui. Primum tum forcipe expedire partum tentavi. Quum vero ob arctam nimis capitis incuneationem

absque periculo et nimis parturientis iniuria satisfacere scopo non possem: nullum aliud auxilium superstes fuit, quam euacuatione cerebri caput in angustius spatium redigere. Etenim de morte foetus nullum amplius dubium superfuit. In hunc finem forcice Walbau-  
miana vsus sum, idque sequenti modo.

Hoc postquam instrumentum aqua calida intepuisset, duobus sinistrae manus digitis per vaginam vteri ad caput tetendi, siller-  
terque interstitium futurae, quod antea tetigi, quaesivi. Vt pri-  
mum ad hoc ipsum perueneram, dextra forcicem ad ductum digito-  
rum iam antea intrusorum ad locum significatum applicui, eaque  
leuiori vi oblique posteriora versus et deorsum, ne quid vesicae lo-  
tii detrimentum afferrem, interstitium dictum perfodi. Sentiens  
me penetrasse in cauum cranii, eodem actu apicem forcicis sursum  
secundum axin peluis verti. Quibus factis ex apertura copia  
aquae effluxit, idque abundantius, postquam forcicem verterem et  
sectionem crucialem facerem. Librae enim  $3\frac{1}{2}$  aquae effluxerunt.  
Vt ipsum cerebrum euacuarem, non opus fuit digitis vel vlllo alio  
instrumento vltiorem destructionem moliri. Nam apertura facta  
sponte sub molesto foetore fluida forma foras prodiit. Inde spatium  
commodum mihi enatum est. Manum igitur meam supra caput ad  
collum vsque intrusi, digitos firmiter illi applicui, ita vt dorsum  
manus continuo vesicae vrinariae obuersum esset, ne quid damni  
haec ex ossibus, vel irritamentum, pateretur. Et hac quidem ra-  
tione infantem postea secundum axin peluis solito modo extraxi.

Grande valde infantis caput fuit, cuticula in collo ad dor-  
sum vsque, in scroto et artuum flexuris, nec non prope vmbili-

cum deglubita, vterius ad minimum attactum nexu suo solui se passa est. Venter non parum tumidus. Spina bifida simul orta. Foetor tantus, vt vix ferri posset. Placentam soluens haemorrhagiam exiguam adhuc percepi.

Absoluto partu in crebra animi deliquia incidit puerpera. Quum alia non suppeterent, propinaui illi crebro iusculum auenaceum succo citri acidulatum, temporaque carposque aceto perfri cui naribusque odoramentum praebui. Hisce suppetiis ad se iterum rediit. Iam nihil auidius desiderauit, quam spiritus vini haustulum; quem licet illi concedere non possem, in eo tamen morem gerere petito tandem oportuit, vt liceret eodem labia oblinere. Diaetae summo rigore adstantibus iniuncto discessi, ex vrbe autem mixturam camphorata acidam illi misi, et cataplasma simul ex floribus chamomillae et sambuci lacte et aqua coctis crebrius calidum imponi iussi. Quum tertio post partum die eam reuiferem, defecerat iam tumor genitalium, pacatior euaserat somnus, nec alio quam supino situ vti potuit. Quoniam vero pulsus febrilis, lochia rubra retenta doloresque regionis pubis, suspicionem mouebant: sanguinem vena misi, et in diaeta mixturae et cataplasmatibus vsu pergi, insuperque ob aluum inde a die partus obstructam clyisma applicari iussi. Quae ipsa eo euentu administrata, vt postero die maritus nunciaret, lochia noctu erupisse, clysmati obsecundasse aluum, speique laetissimae locum esse. Proxime insequentibus diebus opus modo fuit cataplasmatibus applicationem continuare, deinque huius loco genitales partes cereuisia, in qua butyrum diffluxerat, fouere. Tandem post octo circiter hebdomades elapsas in summam mei voluptatem me in vrbe conuenit.

*Epicripsis.*

1. Hydrocephalo interno laborasse infantem, in confesso est, qui eousque intra vterum increuerat, vt partus absque perforatione capitis absolui non posset. Cauum cranii insignis amplitudinis fuit.

2. Affinitas inter hydrocephalum et spinam bifidam vel hoc demum casu confirmatur.

3 Elucet inde, quantum protrahi possit partus, si folis naturae viribus committitur, si dolores omnino cessant, vel non satis fortes sunt, etiamsi omnes reliquae partes ad absoluendum partum concurrentes integrae sint.

4. Dediscant per huncce casum instrumentorum in arte obstetricia otores haec ipsa in vniuersum spernere. Stolidum fuisset, hic versione rem expedire velle.

5. Eodem artificio in capite post cerebri euacuationem extrahendo crebrius in infantibus mortuis vsus sum, doloribus omnino cessantibus; nec vnquam difficultatem mihi peperit. Lubens igitur ab vncis tam obtusis quam acutis abstinui, quippe qui facile sub attractione solui a loco, cui infixi fuerant, possunt, vteroque \*) vel vaginae infigi. Priori quoque modo melius hasce partes contra laesionem vel vulnerationem a margine ossium et festucis eorundem tueri possum.

\* Vt vel apparet duobus exemplis a b. ROEDERERO relatis (*Decad. de partu laborioso, Obseru. 18. et 19.*) Vnde et merito neruose contra vncos insurrexit. (p. 83.)

## OBSERVATIO II.

FORCIPIS IN SITV FACIEI LATERALI  
APPLICANDI RATIO. \*)

Missus fui anno 1773. die 8. m. Augusti ad parturientem in platea vulgo Lille Strand - Straede dicta habitantem, quae per 2 dies doloribus ad partum detinebatur; liquor amnii 20 horis ante meum aduentum effluxerat, dolores vero conquassantes vehementer adhuc dum continuarunt. Peluim parum complanatam, vterum situ rectum cum orificio plane dilatato, explorando inueni; caput vero profunde in apertura inferiori peluis detentum situ haesit transuersali, ita vt fontanella anterior ad os ischion sinistrum, occiput vero ad dextrum vergeret, et integumentorum capitis valde compressi tumor perinaeum cum genitalibus, sine vilo tamen successu partus, insigniter protruderet. Immobili manente in hoc situ per aliquot horas capite, viribusque inquietae grauidae successiue decreuentibus, forcipe partum perficere decreui.

Hinc grauida apte collocata brachium forcipis alterum circa frontem, alterumque circa occiput, lege artis applicui, iunctis deinde brachiis sola extractione, lenique compressione caput eodem, quo haeserat, situ, cum facie semper offi ischii obuersa, sine vilo foetus matrisue insequente damno, apte et feliciter in lucem produxi.

Postea sub auspiciis optimi Praeceptoris SAXTORPH variam occasionem hac methodo vtendi nactus, sc. die 12. Augusti apud parturientem in platea vulgo Adelgade Nro 31. nec non apud aliam in  
platea

\*) Eandem historiam descripsi in *Collect. Haun. med. Vol. I. p. 297. sq.*

platea Kattesfund Nro 120. vti etiam in infula Amagrica, pluribusque aliis in locis, quando situs capitis fere similes fuere, hanc methodum adhibui, forcipem semper ad ossa ischii introducendo: sed ob maximam horum partuum conuenientiam eorundem historia narranda supersedeo, addens solummodo sequentem a praedictis nonnihil diuersam, et eandem forcipis applicationem dilucide monstrantem.

## OBSERVATIO III.

## SIMILIS ARGUMENTI \*)

Die 8. Septembris a. 1773. accessi ad parturientem in platea Grönnegade Nro 22., quae ab infantia motibus epilepticis obnoxia fuerat, toto vero grauiditatis tempore ab iisdem libera, per 48 horas doloribus partus vehementer vrgentibus, motibusque epilepticis saepius recurrentibus de nouo infestabatur.

Explorando grauidam, reperi partes omnes partui quam proximo accommodatas, vtero excepto. Situs huic tam obliquus contigit, vt fundus eius ad latus sinistrum abdominis, orificium vero ad latus peluis dextrum spectaret, caputque alte in introitu peluis transfuersum haereret. Quum tamen obliquitas haec summi gradus non esset, semicirculum orificii attenuati attractum in latere dextro facillime tetigi, caput autem in apertura superiori peluis depressum versionem foetus prorsus prohibuit. Ob pulsus vero summam duritiem et celeritatem, vti et ob insultum epilepticum frequentem vena secta duodecim sanguinis vncias misi, datisque Laudani liquidi Sydenhami guttis XX. per trihorium parturientem reliqui.

\*) V. lib. cit. p. 299.

Accedens iterum, orificium vteri magis dilatatum et propemodum sufficienter apertum, dolores nonnihil perfectiores, occiput depressius in pelui inueni; at ob duritiem pulsus adhuc continuantem suafu Praeceptoris venaefectionem iteravi, fimilemque vt antea dofim Laudani liquidi parturienti propinaui. Redux post aliquot horas maximam parturientis inquietudinem, vomitum affiduum, labores breues, insufficientes, fed molefte affligentes, pulsum contractiorem celerem, faciem ruberrimam, tumentem, oculos toruos, at insultus epilepticos nonnihil diminutos animaduerti. Exploratione denuo instituta orificium vteri, excepto femicirculo eius ad ischion finiftrum vergente, tumido, adhuc duro, et minus delecto, fere totum apertum fenfi, et occiput fimul profundius, fereque ad apicem offis facri depressum reperi.

Licet haud fatis profunde pro commoda forcipis applicatione in pelui haereret caput, monente tamen Praeceptore experientiffimo, ne aequo diutius parturiens insultibus hisce epilepticis exponeretur, vsum forcipis tentavi. Collocata hinc parturiente in fitum conuenientiffimum, forcipem ad ischii offa, fecundum regulas artis, difficile quidem ob altum capitis fitum, faciem eleuatam, fed felici fucceffu, nulla interea habita ratione iniqui fitus capitis, applicui, illudque, fine praegreffa hac fitus mutatione prius cum forcipe instituenda, prompte et feliciter extraxi.

Infequente die matrem cum filio tolerabiliter valentem laetus confpexi: aft altero post partum die inquietam illam, valde febricitantem cum pulsu duro celeri, cephalalgia vehementi, fiti, aluo tamen aperta, fluxu lochiorum ordinato, mammis mollibus  
absque

absque turgescentia et dolore deprehendi, quibus compertis pulueres temperantes cum camphora, clysmata emollientia diaetamque strictam obseruandam praescripsi.

Noctu sequenti paroxysmum epilepticum, duratione et vehementia praegressis longe inferiorem, sese perpessam aegra narrauit. Die tertio grauiora cessarunt symptomata, mammaeque lac copiose effuderunt. Aegra in dies postea magis magisque conualescere incepit vsque ad diem 9. quo, subito vocatus, illam inueni motibus conuulsuis lenique delirio affectam sine cognita causa. At intercepto hoc die fluxu lochiorum pulsuque pleno et duro existente, venaesectionem largam institui, clyisma immitti iussi, et vesicantia furis applicari. Vnde post paucas horas symptomata cessarunt, redeunte fluxu lochiali, somnoque naturali reficiente.

Sequenti die 10. leuis orta diarrhoea per sequentes 2. dies pergens cum symptomatum mitigatione et capitis imprimis; hanc anima rhei aquosa cum liquore anod. mineral. Hoffm. sustinere studui. Lochia interea continuantia successiue imminuta; febris modo vesperi cum sudore nocturno aegram debilitans per aliquot dies perrexit; quae tamen, dato cortice peruuiano, post aliquot dies plane euanuit, ita, vt aegra elapsis 4 hebdomadibus penitus restituta, nulla recurrente epilepsia, postea cum filio optime valuerit.

### *Epicrisis.*

Solidissima, vt solet, commentatione \*) praerogatiuam forcipis Smellianae prae Levretiana in extrahendo capite sub situ transuersali

\*) In *Collect. Haun. med. Vol. I. Art. 34.*



uerfali, excuffit meritiffimus Praeceptor, cel. SAXTORPH, quae in eo praecipue confiftit, quod Smelliana pari facilitate inter pubem et os facrum introduci queat, ac inter offa ifchii; Levretiana contra, non nifi praeuia molefta et periculofa capitis per vnum forcipis cochlear rotatione, prope latera peluis applicari. Quoniam tamen cel. Vir nec Smelliano artificio varia magni ponderis incommoda fub extractione euitari poffe, fua experientia didicit: hunc poftea, quem iam dixi, forcipem circa frontem et occiput infantis applicandi modum, femper ad latera peluis instrumentum inferendo (omiffio illo haftenus vbiuis vfitato forcipem circa aures adhibendi) exercuit, nec vnquam funeftum inde euentum obferuauit. Comoda inde tam in parturientem, quam obftetricantem redundantia paucis haecce funt, prout proprio eius exercitio cognoui.

1. Sub illo non opus eft, parturientem in fitum lateralem collocare, qui femper illi dolorofus et male commodus eft: fed fitus horizontalis feruari poteft. Hic parturientis nixibus aptior eft, quibus opus ad dolores rite pro partus adiumento impendendos, dum obftetricans eodem tempore caput infantis attrahit; quibus viribus coniunctis tota encheirefis magnopere leuatur. Obftetricans fub hoc quoque tanto liberius follertiusque officio fuo fungi poteft.

2. Ipfæ forcipis applicatio Saxtorphiana methodo et facilior et minus dolorofa eft.

3. Parcitur ea magis veficae vrinariae, perinaeo, imo offi coccygis.

Pluribus argumentis eximiam eiusdem vtilitatem cel. vir (*loc. cit.*) démonftrauit.

## OBSERVATIO IV.

## BRACHIVM PROLAPSVM. VERSIO.

Mense Februario anni 1775. vesperi hora II. ad primiparam vocatus fui, vt suppetias illi sub partum ferrem. Perpeffa haecce iam per 48 horas supraque veros dolores fuerat. Quoniam illi autem non vna ferie continuarunt, partum vere imminere dubitavit, nec prae intempestiua verecundia obstetricem arcessi permisit. Ast per hanc moram effluxerunt aquae, quod ipsum d. 13. mensis contigit, simulque excidit e vagina vteri brachium. Iam modo obstetricem suam illico ad se accedere iussit. Sed vide, quid illa solaminis attulerit, Haec existimans infantem sponte retrahere posse brachium, illud vellicavit vnguibus acubusque punxit. Quum vero hoc nihilominus reniteretur, repetitis ausis in vterum illud repellere manu conata est, eodem irritato successu. Quin inter haec brachium et partes genitales valde intumuerunt. Iam, ne videretur absque ope parturientem dimisisse, nouum tentamen subiit, in id enitens, vt apprehenso brachio infantem extraheret. Quam male consulisset feminae haecce moliens, et docuit frustra per plures horas continuata opera, et variegatus inde in brachio enatus color, inflammationisque genitalium insigne incrementum. Ego duodecim horas post conamina ista dicta accessi.

Feminam lecto partui accommodato incumbentem inueni, pulsu pleno, facie rubicunda et sudoribus perfusa, oculis scintillantibus, valdeque inquietam. Venter expansus insigniter apparuit, aliquantisper dolens et media parte sulco longitudinali notatus, quem ipsum obstetrix pro certo signo partus gemellorum marito declarauerat.

Explorando brachium prolapsum, quod ipsum finistrum fuit, valde tumidum sensu maculisque nigris et viridibus distinctum, pollice, si extenderetur ad dextrum matris crus, vergente, facie autem eiusdem interna ad perinaeum et externa ad abdomen. Nec pulsus vllum vestigium in eodem mihi apparuit. Vagina vteri ipsa sicca, labia externa pudendorum inflammata. Percontando etiam constitit, parturientem inde ab initio dolorum nihil lotii emisisse, quae mora maxime illi molesta fuit. Non tamen vires valde decreuerant.

Antequam vero ad versionem infantis accederem, sine qua partus absolui non poterat, opus fuit lotium nimium collectum emoliri, id quod ope catheteris tentavi. Multum in eo introducendo intumescencia brachii et genitalium excitavit difficultatis, et quum iam immissus esset, ob dolorosum sensum mox retrahere illum oportuit. Eo tamen iam perueneram, vt quantum lotii matula complecti posset, secederet, abdomen cum flacciditae manifeste subsideret, et ipsa inde leuamen insigne conciperet. Sulcus quoque, de quo dixi, euanescere videbatur. Hisce peractis, secundum superficiem manus internam infantis in vaginam immisi manum meam versionem exsecuturus. Exploratione accuratiori tum comperi, brachium iam supra scapulam superiorem peluis aperturam intrasse, vterumque valde contractum esse. Iam vt mihi viam ad pedes panderem, scapulam nonnihil attollere tentavi, manum sub infantis axillam collocando, et pectus sursum et ad latus versus os ileum dextrum, vbi caput quoque situm fuit, remouendo. Hacce ratione et operoso tentamine repetito supra pectus in vterum perueni, moxque in eius vicinia pedem vnum eundemque dextrum inueni, quem ipsum fortius vsque ad vaginam vteri attraxi. Inde

de-

deuolui coepit infans, iamque plus spatii nactus sum, vt et alterum pedem quaerere possem. Ansa igitur prius dicto pedi, vix extra finum externum vaginae propendenti applicata, prope eum regulis artis conuenienter in vteri cauum iterum redii, alterum pedem quaerendi causa, quem et apprehendi et attraxi prope priorem absque vltiori vilo impedimento. Sicque femina partum suum haud cunctanter absoluit.

Infans initio debilis valde fuit, nullum sonitum edens: verum mox ad se rediit, postquam vnciam vnam circiter sanguinis per funiculum sanguinis emissem, balneaque ex aqua et vino tepido adhibuissim, iuncta inflatione aëris per os.

Deglubendo tum placentam solui, quae ipsa lateri caui vterini adhaesit. Iamque collectis nonnihil viribus in lectum transfereendam aegram curavi. Praeter diaetam commodam praescriptam, epithemate ex butyro insulso et cereuisia genitales partes fouendas suasi, et potum acidulum commendavi. Infantis autem brachio, ob tumorem nimium et sugillationem, fomentationem ex aceto vini aquae diluto, et sale ammoniaco remixto applicari iussi. Mane die 14. rediens pulsus puerperae plenum simulque durum sensi, inquietamque praeterea illam, et calore, cephalalgia cum sensu pressionis super oculis, peruigiliis, siti vehementissima, lingua arida, facie rubra, anxietate, tussi leuiori detentam vidi. Abdominis consueta ratio fuit, in regione autem pubis idem mirum in modum sensibile, adeo vt ne straguli tenuis quidem pondus et attactum nullo modo perferre posset. Lochia suppressa, aluusque per plures dies obstructa. Lotium quidem secessit, sed non absque

ardore et doloribus. Increuerat et inflammatio partium genitalium. Ob hasce rationes vena 12 ad 14 vncias sanguinis emisi, mixturam camphorata vna cum potu diluente et refrigerante praescripsi, extusque supra regionem pubis linteum camphora perfriatum, et super genitalia cataplasma ex speciebus emollientibus lacte dulci coctis, imponere curavi. Clyisma aluum referauerat. De reliquo vesperi nihil leuaminis perceptum. Sanguis mane emissus crassa lardosa tenaci et crasso ex viridi lutea tectus cum pauxillo feri. Hinc iterum octo ad decem vncias sanguinis euocavi, epispastica plantis pedum imposita, et splenium camphora perfriatum iteratum. Die 15. omnia meliora; nempe decreuerant dolores capitis, sitis mitior, lingua humidior, facies pallidior euaserat, et anxietas cum inquiete omnino cessauerat. Pulsus mollis et celer; nec sensibilitas regionis pubis ea amplius superstes, quae antea sub contrectatione; noctu subinde dormiuerat, lochia rubra erumpere nonnihil inceperant, tumor quoque genitalium paullisper subsederat. Die 16. indicia febris lacteae subfuerunt. Per noctem tamen aliquot horis fomno indulserat. D. 17. symptomatum omnium decrementum conspicuum. Lochia rubra cum albis misceri coeperant, genitalia notabilem in modum detumuerant: verum contra ea in labiis tam maioribus quam minoribus pudendorum vti et antrorsum in vagina maculae gangraenosae conspectae. Vnde circa haecce ipsa loca scarificationem exercui, frequenterque eadem decocto corticis peruuiiani foueri hisque splenia eodem imbuta calide applicari iussi. D. 18. ob alui obstructionem clyisma iniectum. Gangraenosae autem maculae suppurationem inierant. Iam et tussis et lassitudo molestior. Omissa mixtura camphorata acida, decoctum corticis cum syrupo Althaeae praeecepi. Die 19. quaedam macularum gangraenosarum sese sponte  
sepa-

separauerant, alias tenaculo abstuli. Tuffis mitior, lochiorum par-  
cum profluuium, lotium absque vlllo incommodo secedens. Inde  
ab hocce die omnia integriora euaserunt. Quod ad pudendorum  
vitia, superstite adhuc lochiorum fluxu, fomentationem continuan-  
dam duxi: hocce autem cessante linteum carptum, vnguento dige-  
stiuo oblitum locis antea gangraenosis imponere suasi, vnde noua  
caro mox propullulauit. Et intra sex hebdomades conualuit.

Tumorem brachii infantis, quod antea continuo absque digi-  
torum motu dependebat, idem epithema dissipauit, liberumque mo-  
tum oleum volatile (*Ph. pauper. p. 33.* ex oleo camphorato et spiritu  
sal. ammon.) restituit.

### *Epicripsis.*

1. Liquet ex historia prolata, quam inutile et periculosum  
tentamen sit, brachium vel manum prolapsam in vterum repellere  
conari, vel apprehensa hacce parte extrahere infantem velle. Par-  
tus hicce initio simplex et naturalis fuit, qui sola versione potuisset  
absolui. Cunctatione autem tam matris quam obstetricis, et huius  
iterato inepto molimine, aquae sine vlllo partus adiumento effluxe-  
rant; vterus nimium sese contraxerat, scapula in aperturam supe-  
riorem peluis descenderat, et partes genitales frequenti contrecta-  
tione inflammationem subierant.

2. Elucet, fulcum vel foueam medium abdomen distinguen-  
tem non certum indicium praesentiae gemellorum prae se ferre.

3. Errare euincitur, qui ex defectu pulsus in carpo mortuum esse infantem hariolantur. Tumore enim vel pressione aliqua pulsus tam exiguus fieri potest, vel sponte tam paruus est, ut sentiri nullo modo queat; quod ipsum hocce casu sine dubio locum habuit.

4. Apparet quoque, quanti intersit in eiusmodi casu, vel sub partu laborioso, in quo vterus cum vicinis partibus dirius afficitur, placentam deglubendo auferre. Maiorem enim sanguinis iacturam semper puerpera patitur, dum placenta manu soluitur, quam eadem sponte elabente; ut igitur haec ipsa, modo tempestiue contingat, nec nimia sit, pro venaesectione locali eaque salutari reputari possit.

#### OBSERVATIO V.

### CONVULSIONES PARTVM RETARDANTES, FOETV FORCIPE EXTRACTO.

Die 10. Septembris a. 1775. hora vesp. 9. vocatus ad feminam accessi, quae iam per horas 15 continuas conuulsionibus agitata fuerat. Inquirenti mihi in rei conditionem narratum, aegram in initio mensis noni grauiditatis suae, quae prima esset, versari, vesperi antea omnino sanam lectum petiisse, versus mane autem cum querelis de torminibus dirissimis expergefactam, et versus horam 6. malum hocce ingruisse; tum obstetricem arcessitam, quae clyisma illi iniecisset, venaesectionem praescripisset, de tempore grauiditatis incuria, quoniam nimirum credidisset, mensis initium modo computari.

Ego vero in aegra apertos sed distortos oculos offendi, eosque omnino immobiles, etiamfi candela accensa ante eos teneretur, albugineam oculi omnino rubram, os spumescens, maxillas mox clausas, mox dentibus stridentes, conuulsionibus denique manuum et pedum vehementer afflictam. Meum tum fuit inuestigare, anne hisce dolores pro partu iuncti, et ane dolores isti, quos colicos dicerent, veri isti ad partum necessarii existerent.

Verum quum digitum vaginae vteri immittere conarer, tantos clamores excitauit, vt vix maiores potuisset, si vere vim illi attulifem, vnde precibus adstantium permotus desistere ab exploratione coactus sum. Ne vero existimarent, id mea culpa euenisse, obstetrici idem tentamen proposui, quod vero subiit eodem effectu. Comperi simul, artus inferiores, praecipue femora, vna cum labiis pudendorum maioribus, oedemate intumuisse. Praecepisti postea eidem potiunculam ex aquae ceraforum vncia vna, et Laudani liqu. Sydenh. guttis quindecim, vno haustu sumendam, modo copia eidem aliquid ingerendi suppeteret; clysmata duo, nisi vnum sufficeret, applicari iussi, et venae sectione copiam sanguinis emisi. Sanguis haud interrupta serie tantaque vi profiluit, vt aegre fascia eundem coerere possem. D. 11. mane valetudinis eiusdem par ratio fuit, pulsus modo debilior minusque plenus, quam ante venae sectionem. Clysmatum efficacia nulla; nec potiunculam ob deficientem deglutiendi vim ingesserat, quippe quidquid liquidi illi propinaretur, ore iterum effluerat. Veficatoria igitur bina furis imponenda commendauit tantae magnitudinis, vt fura integra singulo contegeretur. Hora p. m. tertia mitiores conuulsionibus mihi apparuerunt, tum et sub paroxysmo nisum depressorium obseruauit, prout sub doloribus ad partum



tum contingit; quo ipso tanto magis confirmatus sum, eandem doloribus ad partum veris vexari, quidquid opponeret obstetrix, trium hebdomadam defectum arguens. Simul visa mihi fuit rediisse ad partem deglutitio, quod ipsum infundendo liquidi tantillum per hiatum dentium duorum, quos iuuentute amiserat (reliquis arte adhuc compressis), tentavi. Infudi igitur per hanc viam potiunculam dictam. Quod antequam fieret, ex incisa iamiam vena iterum aliquid sanguinis euocavi. Vesicatorii quoque stimulum iam persentiscere eam nonnihil constitit.

Vesperis, quum pedes contrectarentur, misere clamavit. Mentis licet nondum compos, oculi tamen magis naturales euaserant, etsi aperti, et conuulsiones mitiores et parciores. Libera quoque iamiam redierat deglutiendi potestas. Vesicatoria multum lymphae contraxerant. Sub deligatione locorum, quae exulcerauerant, clamorem intensum edidit. Hisce inductus iterum sanguinis cyathum elicui; rursusque potiunculam descriptam cum Laudano propinaui; obstetrici vero iniunxi, ut post horae spatium clystma rursus idque magis stimulans iniiceret. Quo applicato copia fecum secessit.

Aliquot horas post conuulsiones plane conticuerunt, et loquela cum quorumlibet sensuum usu rediit. Omnium autem eorum, quae praegressa fuerant, plane nescia fuit. Iamque manifestius euasit, veris ad partum doloribus eandem corripit, quod ulterius exploratio obstetricis confirmavit. Arcessitus eam ob causam, partes inseruientes partui probe constitutas inueni, caput intra aperturam superiorem apte collocatum, dolores probos et perfectos, et vesicam liquore amnios, ut par est, formatam. Omnia igitur perfectum

fectum partum praefagiuerunt. Quum vero caput in aperturam inferiorem descendisset, dolores per bihorium fere cessarunt. Simulque redierunt motus conuulsiui, qui istos, vt mihi narratum, omnino supprefferunt, ita vt caput propelli vltius nequiret. Caput vere in inferiori apertura reperi, et quum parturiens me adueniente situ partui accommodato iaceret, ope forcipis infantem extraxi, vnde mox conuulsiones consopitae. Placenta debite exemta, nec vlla alia metus causa superstite, in lectum translata fuit puerpera, reliquaque omnia necessaria sollerter instructa.

Per puerperium nihil fere notatu dignum apud eam contigit, praeterquam, quod lochia rubra primo die et quidem parce effluerint, secundo autem die lochia alba iam sese manifestarint. Lactis pro infante nutriendo commeatus sufficiens absque febre lactea inciderat. Primo octiduo lassitudinis insignis querelas mouit, quae vero postea vna cum tumore artuum inferiorum sponte disparuit, vlceraque ex vesicatoriis pariter solito modo consolidata.

Scholia in huncce casum adnectam, postquam alium similem in medium protulero.

## OBSERVATIO VI.

CONVULSIONES PARTVM REMORANTES.  
VERSIO.

Femina viginti circiter annorum eaque primipara in nosocomio obstetricio iam per 20 pluresue horas vehementissimos et dirissi-

mos dolores pro partu perpeffa fuerat. Tantum vero abeft, vt hisce progreflum exoptatum partus affequeretur, vt potius vteri orificium iam mox poft initium in aperturam floreni dimidii dilataretur, et quidem orbicularem, quae ipfa amplitudo conftanter fic permanfit. Nullo reliquae partes huc concurrentes vitio laborarunt. Plethorae caufa vena illi feâta, et ob aluum obftructam clyfma illi applicatum, vnde deiectiones copiofae, fimulque illi Laudani liquidi aliquot guttae datae. Quae vero omnia nihil ad partum perficiendum contulere, fed cruciatibus diris affecta faepius vomuit, tandemque conuulfiones adeo feffe adfociarunt.

Hisce nunciatis cel. SAXTORPHIO, hic mihi confilium dedit verfionem perficiendi. Antequam vero ad eandem me conferrem, fanguinis miffionem iterare, dofinque Laudani ingerere operae pretium duxi. Encheirefin ipfam accelerare poftea tanto minus dubitavi, quum orificium vteri tenue molle et expansum effet, et conuulfiones increfcerent. Digitis igitur vno poft alterum, qua fieri potuit cautione, per vaginam et orificium vteri immiffis, lente hoc ipfum dilataui, pedes infantis quaefiui, et poftquam velamenta dirupiffem, puerum in lucem produxi, qui quidem debilis initio apparuit, mox vero vires collegit; matre a conuulfionibus libera manente. Placenta mox fuffeffit, puerpera autem in lectum translata per tres horas dormiuit, et poftea exoptatiffimo puerperio gauifa fuit.

### *Epicrifiſ.*

I. Conuulfiones verſus finem grauiditatis incidentes valde periculofae ſunt, magis tamen matris caufa, quam foetus, qui  
 ſub-

subinde sub ipso paroxyfmo excutitur. In primiparis a nimia fenfilitate fystematis neruofi oriri folent (licet fubinde aliis quoque caufis locus fit), quod ipfum expansione orificii vterini, fub qua ipfi nerui eiusdem tenduntur, valde afficitur. Hinc ad obtundendum fenfum nimium, opium certe ex praefantiffimis hocce in cafu remediis eft. Dolendum modo, fubinde ob defectum deglutitionis nec huic locum efle, et opio mafsam fanguineam in nimium motum exagitari, qui ipfe fponte iam partum retardare potefl. Quod ne fiat, maxime conducit, eiusdem vfui venaefectionem praemittere.

2. Venaefectio vel absque refpectu ad opium, ob plethoram fub grauiditate plerumque obuiam, tutius meliorique effectu peragi folet in grauidis, quam aliis conuulfis. Nec minus veficatoria ad ataxiam fpirituum fopiendam commoda; adeo, vt vel vnice duplici hocce auxilio, in multis conuulfiones cel. SMELLIE deuicerit \*).

3. Saepe tamen nonnifi partu arte accelerato parturienti confulitur, vt praecedentibus duobus cafibus euincitur, quando nimirum orificium vteri tantopere hiat, vt manus absque noxa pro verfione perficienda immitti poffit, vel caput, fub commodo eius fitu, forfice comprehendi.

\*) *Collection of Cafes et Observations in Midwifery, Vol. 2. p. 323.*

## OBSERVATIO VII.

RVPTIO COLLI ET VAGINAE VTERI  
LETHALIS. \*)

Iam res agitur feminae 36 annos natae, alias integrae fatis valetudinis vegetaeque, nunc prima vice praegnantis, quae initio mensis Februarii huius anni dolores primum exiguos et rariores senserat. Hi ipsi postquam duodecim circiter horas perdurassent, et orificium vteri per biduum ad pollicis dimidii diametrum usque hiasset, liquoris amnii stillicidium insequutum. Vterus aliquanto obliquus apparuit, ita ut orificium eiusdem versus os ileum dextrum dirigeretur, fundus vero latere sinistro distincte cognosceretur. Dolores et vi et numero decrescentes singultus et vomitiones, sub pulsu pleno celeri, exceperunt, quae ut sedarentur, clysmatibus binis ob aluum adstrictam iniectis, sanguinisque copia larga bis per venam emissa, Laudani liquidi Sydenhami guttae quindecim cum aqua Menthae ingestae illi fuerunt, sed exiguo modo successu.

Itaque, quum iam quarto die orificium vteri idque tenue et molle in diametrum duorum pollicum sese dilataisset, caput vero adeo male collocatum deprehenderetur, ut explorantis digito ossis bregmatis

\*) Inferendum hunc casum *Collectan. Hauniens. med. Tomo 2. inde a p. 326. cl. IO. PHIL. ROBERT duxit. Quoniam ille vero, ut ipse (p. 328.) fateri debuit, sub partu absens fuit, ego contra ea partui non testis modo sed actor interfui, sectionemque cadaveris ipse institui: hanc observationem iure quodam meo mihi iterum vindico, adspersis variis momentis necessariis, quae iste silentio non potuit non praeterire, quum nihil subsidiariae opis attulerit.*

gmatis dextri pars media obuersaretur, et futura sagittalis iusto magis ad promontorium ossis sacri vergeret: versio infantis est suscepta, sed pelui etsi vitii experte, summa cum difficultate, ita vt eadem tres homines obstetricantes delassarentur.

Etenim cl. Dr. A-- , vir in arte obstetricia non minus ac in aliis medicinae partibus peritissimus, primus versionem hancce tentauit; cui vero, summas etsi vires intenderet, non licuit ad pedes pertinere. Vnde valde defatigatus rem commisit obstetrici nosocomii obstetricii, sua dexteritate commendabili, quae vero post diuturnos conatus nonnisi dextrum pedem in vaginam protrahere valuit. Tandem ad me res peruenit. Equidem mox ansam inieci pedi iam intra vaginam vteri latenti, quo eum rite comprehenderem et prope eum alterum pedem quaererem. Id quum molirer, vteri contractio, praeuium caput, et femur tantum vires meas consumserunt, vt nonnisi post tres vel quatuor novos conatus alterum pedem, brachiis infantis super collo simplicatum, arripere possem. Hoc rite arrepto et prope alterum protracto, nihil difficultatis in extractione reliqui corporis, solutione brachiorum et partu capitis obuenit. Quum postea placentam manu eximere vellem: eheu in summum mei horrorem animaduerti, quod nunquam antea. Scilicet manus intrusa non sensit vllam vteri contractionem, verum mox pertigit in spatium quoddam insolitum, quod brachium longe ultra cubiti flexuram admisit, multosque conuexitates et inaequalitates, ligamentosam porro quandam partem, et in sinistro latere tumorem magnitudine capitis infantilis offendit. Manu iterum extracta simul multum coagulati sanguinis eduxi. Ne noua manus ad placentam soluendam intrusione dolores recrudescerent, blande tantum funi-

culum umbilicalem attraxi, vnde mox placenta, modica tantum nec perfecti partus modum superante haemorrhagia stipata, foras prodiit. Iam extrinsecus super ossibus pubis contractionem vteri fensi. Nec amplius dubitavi, vterum ruptum fuisse, et cauum, in quod penetraueram, esse ipsum illud abdominis, conuexitates et inaequalitates autem variis in eo contentis visceribus fuisse descriptas, ligamentosa forma ipsa intestina imposuisse, et magnum denique tumorem lateris sinistri externa superficie vteri formatum existisse. Sicque euictum, fundo vteri valde contracto caput collo vteri et pelui tam arcte impegisse, vt manus nonnisi vim vteri inferendo intrare posset.

Puerpera post aliquam temporis moram ex sella in lectum translata, intereaque potu tenui et emulsione communi FULLERI recreata. Ponderus infantis aequauit libras octo, placentae autem vterinae sesquilibram: longitudo capitis pollices quinque et latitudo pollices quatuor constituit.

Praeterlapsis paucis post partum horis, pulsu frequenti calore febrili, siti prehensa puerpera est, lochiaque parce fluxerunt. Haecce mala postea pulsu paruo, virium deiectione, respiratione anxiosa cum tussi sicca, lingua fordida, dolore epigastrii tensiuo cum vomituritione et vomitu adaucta. E vagina effluuium copiosum materiae liquidae, grumosae foetidae flauescens contigit, praecipue quum puerpera lateri sinistro incumberet. Accessere diarrhoea larga foetida cum torminibus et tenesmo, singultus et, praegressis faucium dolore et deglutiendi difficultate, aphthae.

Varia contra multiplicem hanc malorum syndromen sunt tentata. Mox sub initium clysmata emollientia vsurpata, partibus vulneratis iniectionibus et fomentis ex floribus Sambuci et Chamomillae cum lacte decoctis prospectum, et abdomini sacculi ex iisdem floribus cum camphora impositi. Simul mixturae camphoratae acidae praebium quouis bihorio est propinatum. Die 3. morbi alius potiuncula ex aquae laxatiuae [REDACTED] vnciis duabus cum falis Sedlic. drachma dimid. et tartari emet. grano vno, duobus praebis ingesta, bis mota est, quae et vomitum materiae porraceae leuantem excitauit. Porro foetoris materiae et acrimoniae causa, iniectionis significatae loco, decoctum corticis peruvianianum cum lacte pluries per diem in vaginam immissum, tamque salutari euentu, vt, quum ob neglectam per biduum iniectionem materia melioris naturae parcius efflueret, haemorrhagia eneruans erumperet, coërcita tamen iterata iniectione. Pulsus et virium debilitati mox decocto aquoso corticis Chinchinae interne dato subuentum, quod serie non interrupta assumsit; hocque primum alternis cum indicata mixtura vicibus, dein solum captum. Clysmata quoque bina ex eodem applicata. Irritus enim fuit rhabarbarinorum et acidorum tam vegetabilium quam mineralium ad alui profluuium putridum sistendum vsus. Singultum moschus mitigauit. Ast successit huic vomitus inanis. Ad hunc sopiendum sal quidem alcalinum herbarum succo citri mistum ebullitionis momento haustum: verum inflationem abdominis cum torminibus et anxietate dira genuit, quae tamen clysmata sustulit. Aphthis detergendis Borax ex melle rosarum inferuiit. Inde a die morbi 14. ad 21., continuato licet corticis vsu, vesperi exacerbatio febrilis manifesta fuit, cui comites sese associarunt anxietas, aestus praecipue



cipue volae manuum plantaeque pedum; rarius paroxysmum fudor exceperit. Cibi cupiditatis et somni inter haecce tamen nulla labes. Raro tussis sicca incidit. Iam vero oedema pedes cruraque cum maculis liuidis, ac stomacace gingiuas corripuit. Quoniam alui profluuium siluit, clysmata chinata quoque neglecta: in vsu autem interno decocti corticis perrexit, et ob eluuiem ichoris ex vagina ~~per~~ ualla recurrentem iniectionem eiusdem continuare opus fuit. In subsidium quoque adhibita succus citri, oxymel scilliticum cum spiritu salis dulci, infusum Iuniperi baccarum, scarificationes mites, vini parca quantitas. Quicquid vero horum esset, neque tabem neque oedema coërcere potuit. Etenim licet vltimas m. Aprilis dies, integros fere extra lectum consumsisset, die 4. Maii, appetitu cibi viribusque repente collapsis, viuere desiit.

### *Sectio cadaueris.*

Incidi cadauer praesentibus experientiff. Chirurgo HELMCKE et med. Studioso HELM. Omentum superiora versus repulsum, et intestina aëre valde turgida materiaque foetidissima circumfusa. Vterum (quem cum annexis partibus postea praecidi, etiamnum a cl. ROBERT in spiritu vini seruatum) in pelui minori situm offendi contractum et intestino recto accretum, et in superficie posteriori gangraenosum. In orificio huius externo, collo et vagina ambiente ruptura contigerat, iam fistulosum foramen, duos pollices longum, mentiens, quo ipso commercium inter abdominis et vaginae cauum in dextro latere productum.

Ouarium, tum et ligamenta vteri, quae gangraena pariter vitauerat, dextro latere in molem informem degenerauerant, in sinistra

stro membrana vestita obuenerunt. Vagina per totum suum tractum labiaque vlceribus callofis vel et gangraenosis foedata exstiterunt.

### *Epicripsis.*

Omnia conueniunt, rupturam potius necessariae cuidam dilatationi violentae orificii, quam vteri versus diaphragma repulsioni adscribendam: alias enim collo illaeso vagina la ceruice vteri diremta\*) fuisset, vel et ruptura altius siue in fundo siue ad latera contigisset. Multa similia haec ruptura habet cum primo casu, quem describit cl. STEIDELE\*\*); nec multo minorem, nisi eiusdem magnitudinis in meo casu plagam sub partu fuisse (sex pollices aequasse post mortem indicat) probabile est, iam vero post contractionem vteri in exiguum modo spatium coarctatam. Mira et hic sine dubio praestitit cortex peruuianus, et diutius vitam protraxit, quam sperare prima puerperii scena permetteret. Nondum tamen definiri certo potest, an sine eius administratione fissura haecce instar similibus in corpore vteri laesionum subito lethalis euasura fuisset, hacce autem sola in tres adeo menses vita sit prolongata. Ad euacuationem puris integumenta abdominis aperire, si et vacasset, non opus fuisset, quum copiosum fatis effluuium eiusdem per vaginam contigerit.

OB-

\*) Conf. PLENCKII *Anfangsgründe der Geburtshülfe*, p. 296.

\*\*\*) *Beobachtungen von der in der Geburt zerrissenen Gebärmutter, mit Anmerkungen. Wien 1774. c. fig.*

## OBSERVATIO VIII.

PARTVS FACILIS, SED PVERPERIVM OB  
LOTII RETENTIONEM REL. GRAVE.

Die 14. m. Februarii praesentis anni nauta quidam regius (in platea Merians-gade) opem pro vxore sua quaesivit, quae iam per quinque horas conuulsionibus diris correpta fuerat. Aduenienti mihi narratum, feminam hanc annum tricesimum agentem matremque quinque liberorum ante quinque dies peperisse; sub partu per sedecim horas durante omnia bene cessisse, nec minus puerperam postero die bene valuisse, lochia vero rubra per totum illud tempus defecisse. Porro, vt mihi retulerunt, die 3. febre lactea laborauerat, sub qua copia lactis in mammis secreta. Die 4. versus vesperam cephalalgia vehementi affecta, febre valida, calore et siti intensa, doloribus intra abdomen, delirio, vi lecto exsilire tentauit rel. Quae postquam vsque ad horam matutinam quartam perdurassent, visa est tranquillior. Sed breues admodum hae induciae: quin motus conuulsiui inciderunt me praesente adhuc continuantes.

Comperi et vltius sciscitans, puerperam, quantum liqueret, inde a partus tempore nihil lotii emisisse. Contrectato abdomine hoc ipsum vsque ad vmbilicum expansum fensi simulque durum, sub quo experimento autem in furorem fere erupit, misere clamans. Pulsus durus celerque fuit. Hisce certior factus, copiam lotii intra vesicam vrinae contineri, catheterem immisi, vt eandem euocarem. Nihil obstaculi sub eiusdem applicatione se mihi opposuit, verum insignis lotii copia inde effluxit. Et pro-

ut

ut haec ipsa decreuit, ita et conuulsiones, donec, illa omni euacuata, et hae omnino euanescerent. Mox vero perspexi, spem periculi superati praecociter nimis conceptam fuisse. Etenim redeunte pristino rationis vsu inter eiulatus querelam mouit de doloribus abdominis, istis pro partu haud absimilibus, sed dirioribus. Sedem illis intra peluim adscripsit. Simul conquesta est, se sub solutione placentae dolores tam effraenos perpeffam, vt maluisset gemellos eniti, qui tamen initio non illa ferocia, vt in praesentia, infestassent. Quamobrem quatuordecim sanguinis vncias vena euacuauit, mixturam camphoratam acidam propinauit, et regioni pubis linteum camphora probe perfrictum superimponi iussi. Quum post quatuor horas nihil leuaminis hisce percepisset, sed dolorum atrocitas pertinaciter perseuerasset, loco camphorae panno laneo, aquae calidae intincto, totum abdomen obtegendum suasi. Vix per quatuor horas hocce epithema in vsu tractum fuerat, quum haemorrhagia vteri incideret, qua dolores mitescere inceperunt. Haec ne nimia fieret, vt epithema omitterent, suasi, nisi dolor recrudesceret. Sed continuare illud non opus fuit, quoniam et sanguinis profluuium exiguum, et dolor sensim omnis conticuit. Die 15. tum modo dolor perceptus, si regio pubis premeretur, haemorrhagia exigua, per duas quoque horas ante aduentum meum dormiuerat. In vsu mixturae camphoratae permanfit, linteumque camphora perlitum iterum applicuit. Die 17. sensus ingratus omnino euanuerat, ne pressione quidem loci antea affecti resuscitandus; et lochia alba emerferant. Post decem vel duodecim dies incontinentia vrinae molesta fuit, eaque deiectione virium insigni stipata. Lochiis igitur plane cessantibus, epithema aquae frigidae regioni pubis applicandae commendauit, et fomentationem crebram genitalium

talium vino rubro perficiendam. Sic post vsum dierum quatuordecim malum deuictum, et intra spatium quinque hebdomadam plane valetudinem suam recuperavit.

### *Epicrisis.*

1. Extra dubium positum esse existimo, accumulationem lotii in hocce casu expansione vesicae sensilis conuulsiones excitasse, eiusdemque quoque inflammationem creasse, a qua dein incontinentia lotii pedissequa orta. Hinc apparet, quantum damnum retentio vrinae puerperis contrahat.

2. Iunctam vero simul inflammationem vteri fuisse, nihil vetat, cuius causa in violenta solutione placentae et lochiis retentis latuisse videtur.

3. Elucet efficacia epithematum aquae calidae ad lochia prouocanda.

4. Liquet, quanta vis aquae frigidae in restituendo robore fibrarum vesicae et sphincteris lotium retinere renuentium competat, quantumque simul vinum rubrum pro eodem fine stimulo suo leuicum adstringendi vi coniuncto valeat.

## OBSERVATIO IX.

FEBRIS PVTRIDA EX DILACERATA ET  
RELICTA POST ABORTVM IN VTERO  
PLACENTA, INIECTIONE DEMVM  
PROVOCATA. \*)

Femina sanguinei temperamenti, habitusque corporis robusti, duorum liberorum mater, duro assueta labori, a teneris optima valetudine gauisa, elapsis nouem post partum secundum mensibus iterum grauida euasit. Durante grauiditate sine vlllo incommodo ad vltimum vsque diem domestica semper obiit negotia. Tempore grauiditatis absque offensa vlla praeterlapso, dolores partus solitos sentiens, obstetricem vocari iussit, quae post explorationem partum statim infecuturum praedixit: ast post tres dies totidemque noctes conditio rei tamen eadem mansit.

Ob hanc moram medicum consuluerunt familiares, qui interne adhibenda praescripsit pellentia, et externe fomentationes abdomini applicuit, vaporesque partibus genitalibus admisit. Suasu deinde obstetricis, specifici instar, potum Coffeae valde saturatum, vinum gallicum et spiritum frumenti largiter ingurgitauit grauida.

Frustra adhibitis hisce remediis, parturiente indies debiliori, familiares aliam aduocarunt obstetricem. Haec artis suae magis gnara, situm foetus peruersum in causa esse percipiens, sepositis

E 3 reli-

\*) Ex *Collect. Hann. med. Vol. 2. p. 204.*

reliquis, secundum regulas artis mortuum versione facta protraxit infantem tumque foeminam maxime debilem lecto commisit.

Die insequente febris sese manifestavit, quae quotidie increvit, cui tandem purpura alba et rubra sese adjunxerunt. Post sex hebdomades remediis commodis tandem fugatus fuit morbus, sanaque euasit foemina. Ast saepissime incommoda sensit, quibus nunquam antea affecta fuerat, quid? quod nouem vicibus postea abortum passa est. Primo abortu post dimidium grauiditatis tempus incidente, quum obstetrix non adesset, placenta in vtero relicta die insequente sponte prodiit absque omni incommodo, lectoque per aliquot dies seruato conualuit iterum foemina.

Secundo abortu idem euenit, placenta nempe iterum sponte prodiit. Quum tertium abortum instare per aliquot dies sentiret, obstetricem vocauit, quae placentam soluit, vnde grauis insequuta haemorrhagia vteri. Hac per vices imminuta adauctaque, valde debilitata aegra lecto per aliquot septimanas affixa fuit; remediis tandem et diaeta a cel. Professore BERGER praescriptis adhibitis sanitati restituta. Suasit experientissimus Vir, vt placentam intactam relinqueret, si abortum iterum vnquam pateretur. Consilio huic deinde mos gestus est, dum quater abortum postea pateretur, et placenta semper sponte sine omni molestia prodiit. Abortu nono die 1. Ianuarii anni 1774. incidente, quum obstetrix, quam adhibuerat antea, mortua esset, altera arcessita est, quae, praegressa ignorans, placentam arte extrahere conabatur: at iterum grauis haemorrhagia vteri exorta, placentae vero tantum pars cessit cum funiculo vmbilicali soluta, altera parte in vtero relicta. Primo die

die valde grauis haemorrhagia incidit altero vero die imminuta, et iam cessans, iam iterum incipiens. Tertio die lochia alternatim rubra et alba fluxerunt. Accessit febris putrida symptomatibus indies peioribus stipata. Die 13. a Praeceptore eximio ad aegram missus, ut de conditione puerperae certiores eum redderem, tum ea quae ante aliquot annos acciderunt, tum praesentem rerum faciem e narratione adstantium comperi. De horripilationibus querebatur aegra, iam calore iam frigore in initio stipatis, cum graui cephalalgia anteriorem sincipitis partem, in primis supraorbitalem, occupante, siti, sapore prauo oris, nausea, appetitu amisso, susurro aurium, sudore frigido et multo supra totum corpus disperso, debilitate magna, respiratione difficili, somno inquieto, doloribus abdominis et artuum, aluo clausa, lingua fordida, pulsu paruo celeri. Lochia alba erant cum rubro parum mixta, foetentia; pars placentae in utero relicta ibi, ut narrauit, adhuc remansit.

Praescripsi statim leniter euacuantia. De tartari emetici granis duobus aquae purae vnc. vj solutis omni hora cochlear sumsit ad effectum usque. Post aliquot vomitus iam leuata, nausea et dolor praeforius in praecordiis multo minores fuerunt, leuis praeterea inde apparuit sudor, et frustula placentae miti hac concussionem corporis simul expulsa. Purgatis iam primis viis, temperantia et camphorata praescripsi, et dietam acidam, et ob dolores abdominis clyisma emolliens quotidie applicandum curauit, uti et externe fomentationes tepidas ex aqua calida pannis laneis abdomini admota, cum fructu adhibui. Post 4 dies susurrus aurium cessauerat, iam sitis minor, somnus magis tranquillus, pulsus fortior et cephalalgia mitior, doloresque abdominis imminuti. Continuo fluxerunt



xerunt lochia, eaque magis magisque obscure rubra, et iam tenuia, iam in glebas coagulata prodierunt, cum foetore, vt antea, intolerabili. Tentare tum decreueram, an frustulum placentae in vtero relictum digito prehendi posset, vel suadente cel. Professore, iniecto in vterum liquore quodam euocari.

Aegra itaque in situm horizontalem collocata, primo digitum indicem, deinde digitum medium per vaginam ad orificium vteri introduxi; at collum vteri iam contractum duos tantum indicis phalanges admisit, quibus etiam frustulum relictum distincte percipere potui. Quum vero sine maximo dolore et damno aegrae ulterius procedere nequirem, aquam et lac tepidum inieci (quae iniectiones deinde bis terue per diem repetitae); sicque multa frustra partim sponte prodierunt, partim digitis a me extracta sunt. Etsi iam quotidie remittebant reliqua symptomata, continuarunt tamen febris, lingua aphthis obsita exstitit, viribus quotidie imminutis. Hinc corticem peruianum illi dedi, linguaeque Boracem venetam cum melle rosar. illini curavi.

Post repetitas iniectiones vera tandem placentae frustra elicita, vt et portiunculae tunicarum in vtero relictarum. Vnde iniectiones tam diu continuavi, donec nihil nisi solus liquor iniectus rediret. Inde ab hoc tempore valetudo aegrae in dies integrior euasit; remisit febris, rediit appetitus, et lingua, disparentibus aphthis, pristinam conditionem recuperavit, lochia parce fluxerunt alba sine foetore, iniectione iterata nihil, nisi materia iniecta, ex vtero regurgitavit. Remediis et diaeta praescriptis per aliquot dies adhuc continuatis, sanitati post aliquot hebdomades penitus restituta fuit.

*Epicripsis.*

Elucet ex historia praecedente

1. tutissimum esse, placentam, sponte in abortu non solutam, actioni ipsius naturae committere.

2. placentam, attractione funiculi vmbilicalis disruptam, putredinem in vtero molestam facile progignere, quae ob materiam putridam, in sanguinem postea absorptam, febrem putridam, efficacissimis antisepticis camphoratis acidis et cortice peruuiano vix domandam, excitat.

3. iniectionem liquidi commodi in huiusmodi casibus praecipuum remedium censendam esse, quo ipso morbi causam et fomitem simul aggredimur, et materiam putridam quam celerrime euacuamus. Simul leniter et ad contractionem ineundam irritatur vterus, quo melius et fortius contractus relictum placentae frustulum quam facillime propellat.

## OBSERVATIO X.

PLACENTAE VTERI PORTIO POST  
ABORTVM RELICTA INIECTIONE  
AVTEM ELICITA.

Femina 24 annorum, cuius marito in vinis ex vno in aliud dolium deriuandis officium fuit, imbecillis in vniuersum valetudinis, iam prima vice vtero gerens, abortum hebdomade decima

septima grauiditatis edidit, haemorrhagia vehementi stipatum, quae decem dies antea post terrorem miti initio orta fuerat. Obstetrix aduocata id statim negotium sibi datum existimauit, vt placentam eximeret, quo facto sanguinis profluuium substitit. Die 2. recruduit illud, sed post aliquot horas iterum plane conticescens vsque ad quartum diem. Die 3. deliquiis animi puerpera valde obnoxia fuit, vnde cognata quaedam ad vnum vel alterum vini vitrum vesperi potandum eam incitauit, quod et ad somnum restituendum commodum iudicauit. Verum aliquot horis post insigni anxietate et calore affecta, vna cum dolore colico diro et compressione pectoris, quae ipsa ad diluculum vsque perdurarunt, tumque in somnum mitem incidit. Hisce obstetrici narratis, haec et venae-sectionem et puluerem temperantem suavit. Sanguine misso symptomata decrefcere visa sunt, lochiaque rubra eruperunt; quae vero quinto die excepit profluuium album foetens, puerperam valde eneruans, vnde soli obstetrici committere amplius valetudinem suam dubitauit.

Die 6. Iulii a. 1775. h. e. die post abortum duodecimo, adueni feminamque valde debilitatam, ob profluuium foetidum anxiam, cadaueroso faciei colore deturpatam, cum pulsu paruo et debili offendi. Inde ab aliquot diebus aluus non auscultauerat.

Clyfma igitur emolliens, me suadente, applicatum, et decoctum ex cortice peruuiano omni hora ad dimidium cyathum propinatum. Profluuii vero dicti causa, obstetricem aliquoties de die miscelam ex lacte et aqua tepidam in vterum iniicere iussi. Excoriatio labiorum externorum, quae ex acri profluuio enata erat,

erat, fomentationem ex cereuisia cum butyro recenti infulso sibi vindicauit. Per quinque dies nihil leuaminis adhuc contigit, praeter aluum quotidie apertam, et consolidationem incipientem labiorum pudendorum. Ast die 12. eluuiēs ista ichorosa diminui coepit, quin foetore destitui. Vires quoque sensim colligi visae cum redeunte sensim reliqua integritate. Ast die 26. post meridiem praeter omnem opinionem nouum symptoma emerfit, et quidem post iniectionem vix absolutam. Tussis nimirum vomitusque tam dirus exortus, vt praesentium quilibet mortem in limine esse arbitraretur. Accurri inuitatus illico, sed adueniens vomitus iamiam omnino sedatus fuerat, et vehementia tussis pariter declinauerat. Mihi vero inter maximas animi turbas et depressionem conquesta est, sub tussis vomitusque ferocia aliquid sibi excidisse per genitalia, quod vterum reputaret. Exploratione a me facta in vagina vteri aliquid haerere sensi, quod initio frustum sanguinis coagulati esse existimaui, accuratius vero illud postea perquirens cognoui partem esse placentae vterinae relictam putridi coloris foetorisque, vterum autem sua sede superstitem cum orificio aperto. Inieci postea, tam in vaginam quam in vterum, liquidum modo dictum: verum neque malum recensitum reuertit, nec frustula vlla secundinarum amplius euocata. Die 27. hilaris mentis fuit, profluuium parcum et inodorum, restauratae quodammodo vires. Tussis modo aliquantum molesta. Praescripsi ideo infusum pectorale cum floribus Verbasci, cuius et continuato decocti chinati vsu, initio Augusti, quum discederem, omnino conualuit.

*Epicrisis.*

Conclusiones 1. 2. praecedenti historiae annexae hacce confirmantur.

Simul vero edocemur, cautione opus esse in administranda iniectione apud feminas irritabilis nimium naturae. Retulit cel. SAXTORPHIVS suis praelectionibus de femina valde irritabili, ster-  
 nutationem vehementem ex iniectione exortam. Casus eiusmodi tamen rarus est, nam inter sexaginta tres ad minimum feminas, in quibus ipse hoc medelae genus pluries pro necessitate vsurpauit, in hac vnica, modo id contigit. Etenim, praeter hunc finem crebro iisdem in haemorrhagiis vteri varia de causa oriundis, in quibus neque cortex peruuianus, nec martialia nec aliud consilii genus valuerunt, vsus sum, idque exoptatissimo successu, item vtero carcinomate vitiato; aliisque de scopis, semperque absque vllis malis pedissequis. De efficacia in haemorrhagiis vteri sistendis paullo post exempla adducam.

## OBSERVATIO XI.

PLACENTA POST ABORTVM PER SEX  
 HEBDOMADES INTRA VTERVM RELI-  
 CTA, INIECTIONIS OPE  
 EXCVSSA.

D. 20. Augusti a. 1775. vesperi hora 10. festinante pede ad me accurrit LAURENTIVS OLSEN, efflagitans, vt coniugi suae, cui forcipis ope ante sesquialterum circiter annum viuum infantem pro-  
 traxe-

traxeram, iam haemorrhagia vehementi correptae succurrerem. Quum aduenirem, vidi animi deliquio affectam, quod dispellere aceto ante nares retento annitebatur praesens amica. Sciscitans de conditione rei ab illa percepi, feminam hanc ante 6 hebdomades abortum perpeffam, idque quinto grauiditatis mense, leui modo haemorrhagia subsequente secundinasque remansisse. Quoniam nihil mali vltius apud se sensit, die post partum quarto valedixerat illa lecto hypocaustoque, vt iterum negotia sua domestica obiret, quibus ipsis quoque sine vilo incommodo operam dederat. Quin confisa placentam iam dudum se inscia secessisse, cum suo marito post meridiem diei significati 20. Aug. ruri in locum milliare circiter vnum ab vrbe remotum pedibus sese contulerat ad cognatam, vt tempestiue rem quandam illi necessariam visam nunciaret. Haec, vt par officium referret, mox post aduentum decoctum Coffeae saturatum illi exhibuerat, et abeunti coenam cereuisia generosiori instruatam. Iam vero quum domum reuerteret, mox ingratum quasi pondus et lassitudinem pedum totiusque corporis sensit, et vltius progressa profluuium parcum sanguinis ex vagina, quod initio pro redeunte menstruo habuit. Mox vero immodice increscens summum timorem illi incussit, vnde acceleravit, quam maxime posset, gradus, ne, vt metuit, mortua in via remaneret. Sponte apparet, accelerato ingressu et angore haemorrhagiam insigne augmentum cepisse. Ipsemet autem viribus fere omnino exhaustam aegram offendi, artubus frigidis, anxietate insigni, et facie hippocratica, pulsu paruo et aliquantum celeri. Voce valde demissa, se tinnitu aurium, caligine oculorum, et deliquio animi crebriori affici, mihi declaravit.

Exploratione facta vaginam vteri coagulato sanguine plenam reperi, quem ipsum primum auferre opus fuit, antequam ad orificium vteri ipsum peruenire possem. Hisce factis apertum illud inueni et inter vtrumque eiusdem labium corpus quoddam peregrinum spongiosae naturae phalangis longitudine extra vaginam vteri propendens. Equidem metui initio, ne corpus hocce non integrum eximere possem, quoniam nonnisi vnum digitum applicare potui. Nec minus timui, ne haemorrhagiam, quae iam mitior euaserat, resuscitarem vel augerem. Hinc abstinens ab alio conamine vterum tantum blande irritare in animum induxi, quo stimulo excitato contrahendi vim recuperaret, qua sese exferente tam clauderentur vasa, quam peregrinum corpus expelleretur. Hocce fine in vsum verti iniectionem ex aqua frigida tantillo aceto vini remixto, externe autem super abdomen in regione pubis lintea aceto immersa frigide applicanda curavi. Pro vsu interno praescripsi decoctum corticis peruiani cum spiritu vitrioli, vna cum potulento acidulo et refrigerante.

Iam post tertiam iniectionem eum fructum vidi, quod haemorrhagia cessaret. Continuaui eam omni horae quadrante. Quum octies in vniuersum eam administrassem, sensit illa dolores quosdam, sed mites moxque cessantes. Tuncque nutu, vt accederem indicauit (etenim iusseram, vt caueret a vociferatione et alio omni motu) mihiq; declarauit sibi timorem subesse, ne recrudescere fluxus inciperet. Hinc de noua iniectione cogitans, sed tactu prius rem perquirere cupiens reperi, corpus antea in vteri orificio latens iam in vaginam delapsum. Exemto hocce vidi, veram esse placentam vterinam, cui pars funiculi vmbilicalis adhuc adnexa erat. Illa autem  
omnis

omnis expers fuit putredinis, referens adeo placentam embryonis nouissime secedentis. Profluuium autem iteratum, quod reformidabat, summe naturale fuit.

Quietem situ supino obseruandam vna cum pristina diaeta illi iniunxi. Ab iniectione autem iamiam destiti, in epithemate ex aceto continuando acquiescens. Sequentibus diebus nihil singulare apud illam animaduerti, praeter debilitatem, quae tamen continuato vsu decocti corticis, in quo postea spiritum vitrioli omiseram, et dein cibis magis nutrientibus euanuit. Ita tandem perfecte sanitatem recuperauit.

### *Epicripsis.*

Liquet inde,

1. placentam sine malis vllis subsequenter post abortum relinqui in vtero posse.

2. quantopere pellentia commotionesque animi vel corporis fortiores ea relicta noceant. Potus Coffeae fortior, a quo solo in alia parturiente, cui partus perfectus contigit, epilepsiam ortam vidi, et metus, ne in via profluuiio sanguinis exstingueretur, sine dubio praecipuae causae vehementiae eiusdem fuere.

3. quantae vtilitatis in eiusmodi casibus iniectiones sint, vt neruis vteri blandus stimulus impertiatur, et fibrae carnae ad contractionem vellicentur.



## OBSERVATIO XII.

VSUS INIECTIONIS IN HAEMORRHAGIA  
VTERI POST IRAM ENATA, ABORTU  
PEDISSEQVO.

Coniux fabri, cui cum aurichalceis opificiis res est, 37 annos nata et trium liberorum mater, decima nona grauiditatis hebdomade post meridiem, postquam ira excanduisset, in haemorrhagiam vehementem incidit. Haec vesperam versus adeo increuit, vt abortum pateretur. Remansit placenta. Ob profluuium sanguinis nimis exundantis auxilium alibi quaerere obstetrix cogebatur. Ego summo angore illam detentam, magnumque sanguinis iam elapsi et adhuc exundantis dispendium animaduertens, mox ad iniectionem accessi, quae aqua aceto remixta peracta. Inde in summam mei voluptatem mox profluuium conticuit, et post aliquoties repetitam iniectionem dolores mites renati, qui sine recidiuo profluuiio superstitem adhuc placentam propulerunt. Ob nauseam, cuius saepe querelas mouit parturiens, aquam menthae piperitidis cum liquore anodyno minerali Hoffm. illi praebui, cochleatim pro necessitate sumendam. Continuato illo supino situ et animi tranquillitate, nec per noctem recrudit malum. Et postero die quum mane illum adirem, laetabatur haud parum, se hacce vice mortis faucibus fuisse ereptam. Lochia parce fluxerunt. Nec vlla alia querimoniae causa adfuit. Ne quid curae omitterem, per 5 dies postea eam quotidie conueni, decimo autem post abortum die ei in conclaui deambulanti valedixi omnia pacata inueniens.

*Epicripsis.*

Rarior est longe, nescio qua de causa, iniectionum ad haemorrhagiam vteri sistendam vsus<sup>1</sup>, quam externa aceti, aquae frigidae, vel spiritus vini, vel diriori casu sacchari saturni vel aluminis soluti, per lintea supra abdomen applicatio, vel, quae quibusdam placet lintei, horum aliquo liquido, siue, suadente TRALLESIO \*) solutione vitrioli martis, madidi in ipsam vaginam intrusio. Varia ab aliis pro iniectione praecepta sunt, vt aqua aluminosa Bateana, vel diluta solutio colcotharis vitrioli, quae ipsa commendauit cl. LEAKE \*\*). Mihi suffecit acetum vini aqua dilutum. Quod locum non solum habet, vt praesens casus docet, excussa antea placenta, sed ea adhuc superstita, qua occasione et ad haemorrhagiam supprimendam et ad ipsam placentam eliminandam valuit. Imo efficacius hoc inueni externis epithematibus frigidis, vtpote loco ipsi affecto applicandum, et tutius: nam solet illis tussis excitari, quae nimium sanguinis impetum non potest non augere.

OBSERVATIO XIII.

PARTVS GEMELLORVM LARGA HAEMORRHAGIA STIPATVS\*\*\*).

M. Februario a. 1774. traditum mihi a cel. SAXTORPH negotium est parturienti cuidam opem ferendi. Haecce, narrante obstetrice,

\*) *De Opio, Sect. 2. p. 50.*

\*\*\*) *On the Childbed-fever, p. 269.*

\*\*\*). Dignam iudicauit hanc historiam cel. TODE, Med. Professor Hauniensis, cuius beneuolentiae et fidis institutionibus obstrictis-

trice, iam per 30 horas doloribus correpta, bis ob nimiam eorum imbecillitatem venam sibi secari, triplicique clysmate aluum sibi elui ob eius obstructionem, passa fuerat. Ceterum macilenta et cholerică, sex liberos procreauerat et semel abortierat.

Me accedente in lecto iacuit querens de cephalalgia dira sitique; frons sudoribus maduit, abdomen valde expansum exstitit antrorsum propendens et sub minimo attactu dolorosum, pulsus celer etsi mollis, doloresque pro partu omnino euanuerunt. Exploratione qua par est accuratione facta, vaginam vteri siccam reperi; os vteri, cuius anteriorem modo semicirculum tangere potui, sursum versus os sacrum directum fuit, tenue et expansum; aquae iam effluxerant, et foetus ipse dorsum praeuium gessit, iunctis haemorrhagiae vestigiis.

Itaque parturienti situm commodum pro partu procuravi, ob nimiam vero abdominis expansionem et haemorrhagiam, fasciam laxę circa abdomen inieci. Hisce factis ad ipsam encheiresin transii et versione artis legi conuenienter instituta partum absolui. Prodiit puella. Sed abdomen expansum durumque permansit, ita vt latentis alius infantis suspicio nasceretur, et sanguinis profluum copiosius quam antea euasit. Deligavi igitur funiculum umbilicalem prioris infantis versus secundinas, manum iterum incauum vterinum immisi, et detexi alium intra velamina sua inclusum infantem, liquori copioso amnii innatantem, abdomine praeuio.

simum me publice profiteri conuenit, quam insereret diarii sui, *medizinisch-chirurgische Bibliothek, Tomi 3 Parti 3, inde a p. 211.*

uio. Quaerens tum pedes, eosdem dextro latere inueni, vesicam disrupi infantemque haud aegre extraxi. Vix vero mihi copia data funiculum vmbilicalem deligandi, quum tantum incrementum haemorrhagia cepisset, vt sanguis in scia puerpera per amplum conclauis spatium diffunderetur. Pars placentae, quae cum altera velamentis nexa erat, iam extra vaginae finum externum deprehensa. Contacto abdomine nulla vestigia contractionis vteri mihi apparuerunt: vnde sine mora palma manuum vtraque regioni pubis applicata vterum versus vertebrae lumbares compressi, eo euentu, vt mox minueretur. Quare obstetricem leni attractione funiculorum secundinas eximere siui. Tum nonnisi vnica manu pressionem exercui. Alteram aceto frigido prius immerfam in vterum immisi, quo ipso debilem modo contractionem animaduerti; quae vero stimulo excitato sensim creuit, donec tota manus quasi includeretur, meque cogeret subito eandem retrahere. Sed extrinsecus compressionem continuaui, acetoque frequenter fasciam supra dictam humectandam curaui.

Iam vero, etsi nihil sanguinis amplius proflueret: deliquia tamen animi vehementia et frequentia, et tandem conuulsiones dirae, praesentaneum vitae periculum denuntiare videbantur. Initio artus frigidum sensum prae se tulerunt, oculis, labiis totique faciei color, qualis in mortuo, contigit. Intermisit ictus arteriae quilibet tertius, suspiria simul inciderunt, motusque omnis orba apparuit. Mox vero conuulsionibus pedum tam diris corripiebatur, vt vix quatuor homines illi continendae pares essent. Vnde opus fuit eam a lecto obstetricio in alium transferre, tam ideo, vt aptius contineri, quam vt compressio tanto commodius fieri pos-

fet; ne commotione violenta noua sanguinis profusio nasceretur. Inter haec tamen non deleta fuit omnino deglutiendi vis, vnde frequenter illi cochlear potulenti tenuis et viscosi, vti et decoctum corticis peruuiani aqua aromatica mixtum propinaui; et aceto tam iuncturas manuum quam tempora perfricui. Vires inde collegit egregie, conuulsiones et animi deliquia consopita, pulsus euasit aequabilior, etsi exiguus et debilis, facies viuidior, rediit vox, tandemque in somnum tranquillum incidit. Exactis circiter tribus horis conueni eam iterum, eamque placide dormientem offendi. Continuato tandem vsu corticis decocti, iuncto rigore diaetae commodae, sensim omnia mala conticuerunt, et tertia hebdomade eam vna cum liberis ambobus eius integre valentem reliqui. Parcus tamen lactis ad mammas commeatus illi contigerat.

### *Epicrisis.*

I. Paralysis vteri in casu enarrato absque omni dubio subsuit, enata a nimia diuque durante eiusdem expansione, quam gemelli cum adnatis partibus creauerant; vnde fibrae musculares vim sese contrahendi fere omnino amiserant. Quanto in periculo parturientes hocce malo versentur, testibus grauibus confirmatur \*).

2.

\*) Verissime igitur dixit cl. LEVRET (*l'art des accouchemens p. 161.*) qui instar omnium esse potest: *La Perte de sang, qui procède de l'inertie de la Matrice, offre le danger le plus pressant.* Conf. et EIVSD. *Observations sur les Accouchemens laborieux, Ed. 3. p. 261 sq.* vbi casus a cel. DE LA MOTTE et MAVRICEAV similes citantur.

2. Liquet, quantum faciat externa vteri compressio\*), stimulusque manus aceto madidae ad haemorrhagiam sistendam et vigorem fibris impertiendum.

3. Vide, quando ex gemellis vel alia quadam de causa vterus diuturnam et insignem expansionem passus est, quam lente in versione secundi infantis et extractione secundinarum procedendum sit, nisi periculum praesens vrgeat.

4. Nouo exemplo euincitur, lac mammarum, deperdito nimium vel sub vel post partum sanguine, valde imminui. Etenim haec alias femina mammas lacte probe turgidas sub grauiditate et post partum gesserat.

#### OBSERVATIO XIV.

### HAEMORRHAGIA VTERI POST ABORTVS PLVRES ANTEA ORTA, SED, RELICTA PLACENTA, VLTIMO AVERSA.

M. Maii die 18. anni 1775 p. m. ad vxorem subpraefecti cuiusdam militum missus fui. Haec, 34 annos nata, in coniugio suo decenni haecenus nunquam viuum vel potius maturum infantem enixa fuerat, sed quinquies abortum mox quinto vel sexto grauiditatis

G 3

tatis

\*) Cuius eximiam virtutem viuus coloribus describit cel. SAXTORPH in *Collect. Haun. med. Vol. 1. p. 327.*

tatis mense perpeffa. Malum auxit haemorrhagia vteri effraena, quae qualibet vice, quum obstetrix placentam extraheret, erupit.

Me adueniente nouus abortus isque sextus in procinctu fuit, hebdomade vicesima sexta grauiditatis incidens. Iam duodecim horas ante aduentum meum dolores ad partum in haemorrhagiae mitis connubio eandem infestauerant. Causam vero praecipuam, cur me nunc arcessisset, indicauit eam esse, quod sibi incredibilem in modum ab haemorrhagia insequenti enormi timeret, quae tantam virium prostrationem gignere solita esset, vt per integras hebdomades lecto affigeretur, et postea per plures menses inter varias aegritudines ne concoctu quidem facillimam escam digerere ventriculus posset. Quum tactu rem indagarem, prolapsum vaginae vteri animaduerti, orificium vteri autem crassum, molle et apertum, et per hoc aquas formatas et foetum cognoui. Verbis pacare animum studui, simulque quietem corporis sollicitam, et frequentem vsum potus refrigerantis commendauit. Continuarunt dolores, et quum aliquot horas post ad eam redirem, sub exploratione vesicam liquore annios refertam extra orificium vteri in vaginam protrusam inueni; vnde partum ipsum patienter exspectare decreui. Post dimidiam horam velamenta foetus disrupta; et paullo post femina peperit. Hisce factis obstetrici suasi, vt foetum quidem a placenta separaret, placentam autem ipsam sua sede relinqueret. Quo consilio gauisa puerpera insigniter, quippe quum non solum dolores remitterent, sed emerfisse sese periculo haemorrhagiae consuetae et a se tanto pere reformidatae experiretur. Post quatuor horas nouos sensit dolores, sed breuis morae, et mox, prodeuntibus secundinis, quae absque vlla molestia euolutae, euanescentes. D. 19. satis belle sese habuit,

habuit, noctu vfa fuit fomno quieto, excretiones omnes probe fuccefferunt, quod et de lochiis rubris valet. Quin cibi rediens cupiditas variis quaestionibus de felectu anfam dedit. Valedixi illi post aliquot dies, iam extra lectum hilari, et post paucas hebdomades omnino fanae.

### *Epicrifiſis.*

Iterum planum fit,

1. in abortibus, niſi quid vrgeat, naturae viribus totum partus negotium tuto relinqui poſſe.
2. in hiſce vel vnice placentae ſolutione omiſſa vitam matris vel integritatem ſeruari poſſe.

### OBSERVATIO XV.

## HAEMORRHAGIA VTERI VEHEMENS. FOETVS FORCIPE EXTRACTVS. \*)

Die 8. Auguſti a. 1776. miſit me cel. SAXTORPHIVS ad parturientem, quae ob haemorrhagiam eius opem implorauerat. Fuit haec mulier 26 annorum, duorum liberorum mater, robuſtaeque compagis. Menſe grauiditatis ſeptimo poſt lapſum ex ſcala profluio ſanguinis vterino correpta fuit, venae ſeſtione autem eodem adhuc die ſopito. Elapſis hebdomadibus quatuor poſt, ira iterum re-

cru-

\*) Inter obſervationes in cel. TODE *med. chirurg. Bibl. T. 2. P. 2. p. 199.* collectas occurrit.



crudit, sed et hac vice sponte conticuit. Ast appropinquantibus doloribus, quod 12 horas ante meum aduentum contigit, tertia vice haemorrhagia incidit. Quum aduenirem, facies et labia pallida oculique fracti apparuerunt. Iam praeter dolores ad partum fitis et debilitatis sensus molestias illi crearunt; pulsu paruo et celeri. Explorando partes probe constitutas, orificium vteri tenue molle orbiculare et ad Imperialis amplitudinem hians inueni. Caput foetus in superiori peluis apertura situm, et quidem in diametro obliquo, fontanella anteriori dextrorsum versa. Dolores licet longis interualis grauarent, ingruentes tamen iustam vim exercuerunt. Nec haemorrhagia enormis, sed sub quolibet dolore remittens.

Hinc, quum artis adiumento neque necessitas nec locus suppeteret, commendaui modo potum acidulum, et refrigerandi magis scopo nitrum purum, aqua cerasorum solutum et syrupo diacodii edulcatum. Straguli ex plumis densi loco aulaeo linteo duplicato operiendam illam suasi, et quietem omni modo obseruandam iniunxi. Supra regionem pubis lintea aceto madida imponi iussi. Aliquot horas post ad aegram vocatus, eam in sedile obstetricium me inuito collocatam vidi, deliquio animi forti sopitam, instar mortuae pallentem, clausis oculis, artubus frigidis, pulsu paruo tremulo rel. Insuper vultui aqua frigida, et aceto forti temporibus et carpis intrito, iterum ad se rediit. Comperi tum dolores per horae spatium plane cessasse, sed mox ante aduentum meum dolorem vehementem incidisse, quem larga haemorrhagia excepisset, inde et deliquium animi profectum. Noua indagine orificium vteri plane apertum inueni, caput profunde in peluis cauo situm, et haemorrhagiam abundantiore quam antea. Quamobrem, et quoniam dolores tam diu cessant,

runt, virium quoque iactura magis magisque increuit, et tam matri quam infanti periculum imminuit insigne: partum ope forcipis Smellianae protraxi. Infans, etsi debilis, vita tamen fruebatur.

Educto eo, noua sanguinis profusio exorta. Manum ideo aceto intinctam illico in vterum defixi, placentae soluendae causa. Haec fundo vteri dextrorsum inhaesit, plurimam partem iam soluta. Postquam et reliquam soluissem et extraxissem, contraxit sese vterus vndique, substititque omnino profluuium. Post horae spatium puerpera in lectum translata fuit, de diaetae rigore admonita. Sic nulla amplius re vrgente discessi.

Verum eadem vespera, vt virium dispendium refarciret, oblatum sibi panem secalinum ( $\frac{1}{2}$  Sechslingsbrodt) butyro oblitum copiose ingessit, aliquotque cyathos infusi Theae cum lacte potauit. Inde paullo post susurrum aurium, cum loquelaie iactura, quae per quadrihorium durauit, affecta. Tum cephalalgia dira praecipue super oculis, sitis, iactitatio corporis, anxietas, nausea, pressio in scrobiculo cordis cet. accesserunt. Et hisce quidem malis postridie mane colluctantem conueni. Pulsus insuper tum febrilis fuit, lingua impura, cutis arida, artus frigidi, oculi fracti, loquela et respiratio molesta, aluus obstructa abdomenque tensum. Lochiorum rubrorum tamen fluxus naturalis. Causa huius scenae cognita, praecepi solutionem ex tartari emetici granis duobus et aquae laxatiuae vnciiis totidem, cuius omni hora cochleare vnum fumeret, donec molestiae cessarent. Ex tribus dosibus quater vomuit et septies aluum exoneravit, sicque omnia symptomata consopita, adeo vt et somno aliquantisper indulgeret. Die 10. igitur loco euacuantis medicinae

pulverem camphoratum praescripsi, vnde postridie adhuc melius se habuit. Die 12. post praegressam febrem lacteam quatuor horarum lactis in mammis secretio facta; nec praeter lassitudinis sensum aliud incommodum superstes fuit. Iam e re fuit, corticis peruuiiani decoctum in vsum trahere, et laxare frenum cibi cupiditati hucusque iniectum. Intra hebdomadis spatium pristina sanitas recuperata.

### *Epicrisis.*

1. Nouo exemplo constat, sanguinis profluuio versus grauiditatis finem contingente viribusque eodem iam consumptis vnicum auxilium in acceleratione partus quaerendum esse. Vacuo enim vtero hic ipse sese contrahit, simulque arctantur vasa, et hisce contractis haemorrhagia cessat.

2. Quae post puerperium quodlibet in cibo potuque obseruanda est temperantia, in femina haemorrhagia eneruata tanto magis fuit necessaria. Hinc alimoniam licet alias innocuam ingereret, ob labefactatas tamen digestionis vires et quantitatem nimiam, mortis facile poenam luisset, nisi fomitem mali tempestiuum euacuans euerisset.





## *T h e s e s.*

- I. *Vinum subinde refrigerat.*
- II. *Narcoticorum in vniuersum vim ex opio definire velle, erroneum est.*
- III. *Nerui licet sensus organa sint: non eodem tamen quilibet stimuli genere afficitur.*
- IV. *Phthisis pulmonalis contagiosa est: sed distinguendum inter species.*
- V. *Qui variolas secundas veras post insitionem ortas asseuerant, demonstrent insitas non fuisse spurias.*
- VI. *Exanthemata gradu modo maturitatis inter sese differre, multa sunt, quae dissuadent.*
- VII. *Ne ex restrictione nimia medicaminum, quae neotericis placet, maius olim exsurgat detrimentum, quam ex luxuriante, quae antea inualuit, eorum ubertate, iure metuitur.*
- VIII. *Venena in corpore humano nasci posse, demonstrat deleteria bilis degeneratio.*
- IX. *Emetica in febribus intermittentibus optimo euentu mox post paroxysmum exactum exhibentur.*

X. *Moschi vis eximia, modo iusta maiorique, quam solet, dosi exhibeatur. Hinc Iulepum e Moscho Lond. fere iners.*

XI. *In vitium haud leuius incurrunt, qui in quolibet acuto morbo frigidum regimen adhibent, quam qui calido in vniuersum delectantur.*

XII. *Scopo plerumque excidunt, qui calidis sudores excitare student.*

XIII. *Methodus Garayana extracta parandi omnium optima.*

XIV. *Tenella aetas variolarum insitioni subeundae non satis opportuna est.*

## IO. ANDREAS MURRAY.

---

Quum a me praesidis officium desideraueris: adnectere epistolam et decet, et opus est. TVA enim lectores scire interest, non alienum opus TE vindicare TIBI, sed, quod edidisti, totum TVVM esse. De casibus descriptis ipsis non potest facile dubitatio incidere, sed posset de ordine singula eorundem momenta persequendi, de narrationum moderatione, ne, ut solent saepe, vel luxuriante vbertate, vel concisa nimis breuitate peccarent, de iudiciis ad finem obseruationis singulae adiunctis. Quae dum omnia ad TE referam, non empirice modo in arte obstetricia TE versatum esse cognoscent, sed cogitationes TVAS apta serie TE scire connectere easdemque commoda dictione proferre, rationem praeterea auctorum TVORVM reddere, et exinde nouas in futurum artis exercitium regulas deducere. Nec displicet mihi, casibus vere raris alios quosdam crebrius obuios TE intexuisse; nam qui raritates sectantur saepe in tritis visuique quotidie expositis peregrini sunt. Nec finis esto castigationis vitiorum, quibus ignarae obstetrices spem parentum per tot menses inter tot aerumnas conceptam vno quasi ictu iugulant; quorsum praecipue sacra ista consuetudo accelerandi in-

tempestiue partum, et temerario conamine soluendi vteri placentam, per-  
tinet; quod vtrumque vitium TV scite redarguisti. Pergas, mi GER-  
SONE, in laudabili tramite, quem duce SAXTORPHIO TVO,  
viro mihi quoque aestumatissimo, ingressus es; nec LEVRETO  
FRIEDIOQUE in seruanda matrum prolisque vita sis infelicio, minus-  
que sexui amabili charus. Sic augebis nomina ex gente Hebraea scien-  
tia et meritis celebria. Vale. Gottingae d. 17. Septembris a. 1776.

